

manu subscriptis, et personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo signatis, eadem prorsus fides ubique gentium, et locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur exhibitis, et ostensis.

§ 10. Quodque eadem præsentibus in Lateran. ac Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, et Cancellariæ Apostolicæ valvis de more publicentur, affixis inibi earum exemplis per aliquem ex Cursoribus nostris, et dimissis, quodque eadem publicatione eos, qui in Urbe sunt, post triduum, qui vero extra eam post quatuor menses, omnes, quos concernunt, perinde arecent, et afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

Nulli ergo omnino, etc.  
Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarn. Dom. 1592, Kalend. Sept., Pont. nostri Anno 1.

(2. Pœnæ principales duellantibus statutæ sunt sequentes. Primo, Excommunicatio ipso facto incurrenda. Secundo, perpetua infamia. Tertio, proscriptio honorum omnium. Quarto, debent puniri sicuti homicidæ. Quinto, privatio sepulturæ Ecclesiasticæ si in ipso conflictu decesserint. Sexto, si fuerint Ecclesiastici, privati sunt omnibus Dignitatibus, Beneficiis, et Officiis Ecclesiasticis, et redduntur inhabiles ad illa et ad alia in posterum obtinenda. Septimo, fiunt rei Criminis læsæ Majestatis. Octavo, redduntur inhabiles ad condendum testamentum. Omnes istæ pœnæ recensentur in adducta Constitutione Clementis VIII. Accedunt etiam lætæ per Benedictum XIII Constit. incip. *Ex quo Divinæ*, et aliæ a Benedicto XIV Constit. incip. *Detestabilem*; de utrisque fusius in calce hujus artic. n. 22, 23.

(3. Vulneratus, si in ipso loco Duelli, vel in alio quidem loco, sed tamen paulo post, eadem adhuc die, sicque sine vero sufficienti intervallo decedat, caret Ecclesiastica sepultura, quamvis penitens, et a censuris absolutus decedat; Diana part. 4. tractat. 4. resolut. 94. Sanchez. in select. disp. 39. num. 9. Pignatell. tom. 9. consult. 88. num. 116. Homobon. in consult. cas. conscient. 2. part. 7. res. 64. Lezana tom. 2. verb. *Duellum* n. 14. Honing. lib. 5. decretal. tit. 13. n. 20. Reifensstuel. ibid. n. 43. et alii magis communiter. Et ratio est, quia ultra quam quod semper comprobatur de ipso, quod dicit Concilium Tridentinum, et Clemens VIII, in loco conflictus decessisse; sic expresse decernitur, ac præcipitur in Rituali Romano jussu Pauli V, edito in rubrica de exequiis in hæc verba: « Negatur Ecclesiastica sepultura morientibus in Duello, etiamsi ante obitum dederint signa penitentiae. » Et confirmatur a simili de decedentibus in Torneamentis, vel ludo agitationis taurorum; tales enim sic decedentes carent Ecclesiastica sepultura, quamvis moriantur penitentes, ut expresse statuitur in cap. *de Torneamentis*, ibi: « Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit quamvis ei poscenti penitentia non negetur, Ecclesiastica tamen caret sepultura; » adeoque a pari idem dicendum est de decedentibus in duello. (4. Si autem vul-

neratus in duello moriatur post notabile intervallum, v. gr. post unam, vel alteram diem, non caret Ecclesiastica sepultura; Caraffa de *Duello* tract. 2, sect. 3, q. 19, num. 9, Diana part. 11, tract. 6, resolut. 26, Lezana tom. 2, verb. *Duellum* num. 14, Mancin. in practic. de *Infirm. in ord. ad sepult.* n. 34, Portell. in respons. part. 3, cap. 10, n. 3 et 4, Bassæus verb. *Sepultura* num. 5, Trullench. de *Jure Parochi* cap. 9, dub. 7, n. 7, Possentius in recollect. q. moral. verb. *Duellum* in 6, Remig. in *practic. Confess.* tract. 2, cap. 5, § 1, n. 11, Koning loco cit. num. 20, Reifensstuel loco cit. num. 44, et alii plures. Et ratio est, quia in tali casu vulneratus, licet moriatur occasione Duelli, seu ex Duello, non decessit tamen in ipso Duello, seu conflictu, uti ad incurrendam hanc pœnam expresse requiritur, tum a Conc. Trid. loco cit. tum a Constit. Clementis VIII, supra adducta, ibi: « Et si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. » Tum quia cum hæc sit lex pœnalis, extendi non debet, sed potius restringi, arg. Regul. 15, Juris in 6, ibi: « Odiâ restringi, et favores convenit ampliari; » et regul. 49, eod. in 6, ibi: « In pœnis benignior est interpretatio faciendâ. »

(5. Pœnas impositas contra duellantes incurrunnt: Primo, ipsimet pugnautes, sive sint principales, sive non, sive duellum sit solemne, sive privatum, vel simplex; etiamsi non sequatur mors seu mutilatio; immo quamvis initum fuerit pactum de statim terminando certamen, cum primus vulneratus fuerit, aut sanguinem fuderit, aut certus ictuum numerus utrimque illatus fuerit, textu expresso in cit. Const. Clem. VIII, § 5, ibi: « Nec non iisdem pœnis, et decreto, » etc. Vid. supra in allata Constit. Clementis VIII. (6. Secundo, illas pœnas incurrunnt Patrini, ac socii, ad duellum serio provocantes, vel acceptantes, etiamsi pugna ob aliquod impedimentum non fuerit secuta, ut expresse cavetur in cit. Const. Clem. VIII, in fine § 3, ibi: « Etiamsi pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi, et per eos non stetisset, quominus pugnarent. » (7. Tertio, illas pœnas incurrunnt duellantium adjuutores, sive auxilium, consilium, operam, vel favorem præstantes, equos, arma, commeatum, pecuniam, et alia subsidia scienter administrantes, ut patet expresse in cit. Constit. Clementis VIII, § 7. (8. Consulens autem duellum non incurrit excommunicationem, si fecit quantum potuit, revocando consilium, licet nihil profecerit, quia, quantum est ex se, effecit ut per eum cessaret duellum, novum enim consilium dedit ex se efficacius ad revocandum duellatorem; qui si non revocetur, est propter suam pravitatem, adeoque consulens non est amplius in causa, et consequenter si efficaciter suum consilium revocat etiam post provocationem et ante executionem duelli, faciens quantum in se est, ne sequatur ipsa pugna, non contrahit excommunicationem; colligitur ex Constit. Gregorii XIII, ubi dixit: « Consulentes eisdem censuris, et pœnis sub-

jacere, si per ipsos non stetit, ne pugna sequatur. »

(9. Quarto, illas pœnas incurrunnt spectatores ex industria, seu ex composito; scilicet qui ex sua præsentia, et visione videntur ad pugnam duellantem incitare, textu expresso in Concilio Trid. cit. sess. 25, cap. 199, de *Reform.* ibi: « Nec non spectatores, » et in cit. Constit. Clementis VIII, § 2, ibi: « Nec non spectatores, » et § 3, ibi: « Et ex composito spectatores, » et § 7, ibi: « De industria spectatores. » (10. Hinc pœnas illas non incurrunnt qui ex occulto, vel obiter trans-eundo respiciunt, quia nihil ad ineundam, et acendendam pugnam conferunt. (11. Quinto, illas pœnas incurrunnt locorum Domini, Magistratus, Præsides, Locumtenentes, Duces militum, et capitanei, qui Duellum vel permittunt, vel non prohibent quantum possunt, vel commissum non puniunt, textu expresso in d. Constit. Clementis VIII, § 5, in fine, ibi: « Et non solum locorum Dominos, sed etiam Magistratus, Præsides, Locumtenentes, aut etiam militum Duces et Capitaneos in Castris, vel extra ea, in alieno, vel hostili solo, vel cum militibus exercitus adversariorum Monachiam in quocumque casu per præsentem, vel alias Constitutiones hujusmodi prohibito, permittentes, vel quantum in ipsis est, non prohibentes, aut post commissum crimen, et veniam, et impunitatem concedentes. » (12. Civitates vero, Oppida, Terræ, Castra, in quibus commissum fuerit duellum, permittentibus, aut tolerantibus Dominis, Ecclesiastico subjiciuntur Interdicto, textu pariter expresso in cit. Constit. Clementis VIII, § 7, ibi: « Ipsas vero Civitates, Terras, Oppida vel Castra, et loca, in quorum territoris id facinus, scientibus, et tacite, vel expresse permittentibus, aut tolerantibus Dominis, aut magistratibus, vel Senatu, aut populo, admissum fuerit, Ecclesiastico supponimus Interdicto. »

(13. Sexto, illas pœnas incurrunnt omnes scripta, et manifesta ad Duellum præparatoria efficientes nec non quascumque etiam sine scripto denunciations, narrationes, declarationes, et testificationes, quæ etiam sine expressa provocatione ad certamen, materiam et occasionem præbent; et illas pœnas incurrunnt omnes, et singuli, qui suo vel alieno nomine hujusmodi scripta dictaverint, composuerint, scripserint, miserint, detulerint, divulgaverint, affixerint, exemplaverint, typis impresserint, subscripserint, intimaverint, vel etiam verbo denunciaverint, sive attestati fuerint, et illi, qui ad aliquod horum auxilium, consilium, operam, vel favorem præstiterint, sive suaserint, mandaverint aut quomodolibet se immiscuerint, etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, et aperta provocatio subsequuta fuerit, neque scriptiones prædictæ, quæ Manifesta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuidam intimatæ extiterint, si per eos non steterit, quominus publicatio aut denunciatio fieret; textu expresso fere præcisus verbis in d. Constit.

Clement. VIII. § 6. (14. Illas pœnas incurrunnt etiam Christiani cum Turcis duellantes. Sic censuit Sacra Cong. Conc. in Cathar. 21. Aug. 1737. lib. 5. decret. fol. 584.

(15. Non incurrunnt tamen tales pœnas ratum habentes Duellum suo nomine factum. Floron. de *Duell.* c. 14. § 3. num. 1. Murga disquis. Canon. tom. 2. disp. 11. dub. 9. n. 1. et seq. Navar. in *summ. Bullar.* part. 1. comm. 62 num. 41. et alii; et ratio est, quia summi Pontifices volentes pœnas extendi ad ratihibitionem, id solent exprimere, unde cum hoc non expresserint in Bullis contra duellantes, non est faciendâ extensio, eo vel maxime quia ista est Lex pœnalis, quæ potius debet restringi, ex cap. *Odiâ* 15. et cap. *In pœnis* 49, de regul. Juris in 6, et l. *Factum* § *Pœnalibus*, ff. de regul. Juris. (16. Nec tales pœnas incurrit qui provocatus ad Duellum sic respondet: « Paratus sum me defendere, quandocumque me invaseris, nolo talem acceptare duellum quod Legi Divinæ et Ecclesiasticæ est contrarium. » (17. Nec etiam illas incurrit, qui sic respondet: « Ego ubicumque me aggressus fueris, paratus sum me defendere, neque latitabo, sed mei copiam per ordinarias Civitatis vias faciam, et forsantuo magno malo aggredieris; cæterum recuso Duellum; quia a Lege Divina, et Ecclesiastica reprobatur. » (18. Nec etiam illas incurrit, qui sic respondet: « Sono Cristiano, e non accetto Duello, ma cammino per la Città con la mia spada sola, e la prima volta che c' incontreremo vi darò soddisfazione. » (19. Item nec pœnas illas incurrit, qui postquam dixerat: « Quandocumque reperero te in loco apto, rem armis decidemus, » postea data occasione cum altero, qui et id acceptaverat, de facto congregitur; quia in omnibus adductis casibus, non fuit designatus locus, et tempus, prout ad rationem veri duelli requiritur ex cit. Constit. Gregorii XIII et Clementis VIII, § 3. ibi: « Statuto tempore et in loco convento, » et declaravit Sac. Congregatio Concil. in Nullius 15 Octob. 1644. lib. 17. decret. fol. 360. et Sac. Congr. Immun. 13 Februar. 1703. in casu graviore quam supradicti, ut patet in art. præcedenti sub n. 4. non attento, quod tale scribens Viglietum dixisset Portitori ipsius Viglietti, quod responsum expectabat in quadam Aromataria, eo quia ista verba, expectare responsum, erant nimis æquivoca: sic apud Ursam *Instit. Criminal.* l. 2. t. 5. n. 283.

(20. Absolutio ab excommunicatione incurra ob Duellum, quamvis ex cit. Constitutione Clementis VIII, sub § 7. non posset impendi extra articulum mortis, nisi a Romano Pontifice pro tempore existente, ut ibi expresse fuerat statutum præcisus his verbis: « Excommunicationis absolutionem ab alio, quam a Nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice, penitentia, et satisfactione congrue peracta, nisi in mortis articulo constituti nequeant obtinere, etiam prætextu quarumvis facultatum, et indultorum, quibusvis personis, tam Ecclesiasticis, cujuscumque ordinis, aut militiæ, status,



gradus, aut conditionis existentibus, quam Laicis etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præeminentia insignitis, per Sedem Apostolicam in genere, vel in specie concessorum. » (21. Hodie tamen ex Decreto Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium de speciali mandato ejusdem Clementis VIII. edito die 16. Novemb. 1602. potest talis absolutio ab excommunicatione incursa ob Duellum impendi virtute suorum privilegiorum a Confessariis Regularibus extra Italiam, et in urbe Romana, licet non intra Italiam, et extra Urbem, ibi: « Sacra Congregatio quoad provocantes et pugnantes in duello juxta decretum, et formam Tridentini, et Gregorii XIII. censuit Regulares omnes etiam Societatis Jesu non posse virtute suorum privilegiorum a Censura ob Duellum incursa absolvere in Italia, extra Urbem Romanam. » Ita hoc Decretum referunt, simulque docent Quaranta in *summ. Bullar. verb. Casus reservati*, Dicastillus de *Justitia, et jure* tom. 1. lib. 3. tract. 1. disp. 10. dub. 5. n. 238. Layman lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 5. num. 4. Pellizar. tom. 1. tract. 15. cap. 5. num. 106. Fagundez tom. 1. in *Decalog.* lib. 5. c. 8. n. 5. et alii. Vid. verb. *Absolutio* art. 1. ubi late a n. 41 usque ad 46.

(22. 23. Hic ad literam tradimus sequentem Benedicti XIV Constitutionem, qua damnantur, et prohibentur quinque propositiones duellorum abusu faventes: ac veteres leges adversus duellantes editæ novis pœnalibus Sanctionibus cumulantur.

**BENEDICTUS EPISCOPUS,**

SERVUS SERVORUM DEI,

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Detestabilem, ac Divina naturalique lege damnatum duellorum abusum, a barbaris gentibus atque superstitionis, non sine ingenti corporum animarumque clade, in Christianam Rempublicam auctore Diabolo in vectum, cum semper execrata sit, atque improbarit Ecclesia, tum præcipuo in eam curam studio, vigilantia, ac zelo incubuerunt Romani Pontifices, ut a Fidelium cœtu longissime arceretur. Nam, ut antiquiora mittamus Prædecessorum nostrorum, Nicolai, (1) Cælestini III. Innocentii II. Eugenii III. Alexandri III. (2) Innocentii IV. (3) adversus singulares pugnas Decreta, extant recentiores Apostolicæ Sedis Constitutiones quibus Romani Pontifices Julius II. (4) Leo X. (5) Clemens VII. (6) ac demum Pius IV. (7) gravissimas pœnas antea statutas confirmarunt, aliasque de novo addiderunt, contra duellantes ex quacumque causa, etiam per Sæculares Regionum, aut Locorum Leges forsitan permissa, adjecta infamia, honorumque proscriptio etiam adversus complices, ac par-

(1) *Epist. L. ad Carolum Calvum.*

(2) *In Concil. Lateranens. cap. 1 et 2. de Torneamentis*, ubi trium Prædecessorum decreta citantur.

(3) *In Epist. ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosve Ecclesiasticos Regni Franciæ*, apud Rynald. ad ann. 1252. num. 51.

ticipes, et qualemcumque operam iisdem præbentes.

Tridentina vero Synodus (8) latam in eos excommunicationem extendit ad Imperatores, et Reges, Duces, ac Principes, cæterosque Dominos temporales, si locum ad Monomachiam in terris suis concesserint, ac jurisdictione, et dominio loci, in quo duellum fieri permiserint, quem ab Ecclesia obtineant eo ipso privatos declaravit. Committentes vero pugnam, eorumque Paternos excommunicationis, ac omnium honorum proscriptio nis, nec non perpetuæ infamiæ pœnam incurrere statuit; et si in ipso conflictu decesserint, Ecclesiastica sepultura perpetuo carituros decrevit.

Cum vero præfatis saluberrimis Legibus judicialia dumtaxat, ac solemnia duella comprehensa, ac proscripta viderentur, piæ memoriæ Prædecessor Noster Gregor. Papa XIII. (9) hujusmodi pœnas adversus eos omnes extendit, qui nedum publice, sed etiam privatim ex conducto, statuto tempore et loco, Monomachiam commiserint, etiam si nulli patrini, sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve provocatoriæ litteræ, aut denunciacionis Chartulæ præcesserint.

Denique felicis recordationis Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor Noster, Apostolicas Romanorum ante se Pontificum leges omnes, et pœnas in eis statutas, sua Constitutione, quæ incipit: *Illius vices*, data 16. Kalend. Septemb. anno 1592, diserte complexas, easdem extendit ad omnes non solum duello certantes, sed etiam provocantes, suadentes, equos, arma, commeatus præbentes, comitantes, chartulas, libellos, manifesta mittentes, scribentes, vel divulgantes, aut quomodolibet circa ista cooperantes, Socios, Patrinos, de industria spectatores, fautores, criminis demum participes, illudque permittentes, vel, quantum in ipsis est, non prohibentes, ac delinquentibus veniam, et impunitatem concedentes, quique se prædictis quoquomodo immiscuerint, etiamsi neque pugnae effectus, neque accessus ad locum sit subsequutus.

His tam sapienter, tam aperte, atque perspicue ab Ecclesia, et ab Apostolica Sede constitutis, dubitari jam nullo modo posse videbatur, quin duella omnia, tam publica, quam privata, et Naturali, et Divino, et Ecclesiastico jure prorsus illicita, vetita, atque damnata censerentur. Sed nonnulli earum legum interpretes, per benignitatis speciem humanis, pravisque cupiditatibus plus æquo faventes, Apostolicas Sanctiones ad corrupta hominum judicia inflectentes, ac temperantes, licere, docuerunt, (10) « Viro Equestri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat: fas esse defensione occi-

(4) *Constit. incip. Regis Pacifici.*

(5) *Constitut. Quam Deo et hominibus.*

(6) *Const. Consuevit Romanus Pontifex.*

(7) *Const. Ea quæ a Prædecessoribus.*

(8) *Sess. 25. cap. 19. de Reform.*

(9) *Const. Ad tollendum.*

(10) *Prop. 2. damnata ab Alexandro VII.*

siva vel ipsis Clericis, ac Religiosis, tueri honorem, (1) dum aliadeclinandæ calumniæ via non suppetat; (2) propulsare damna, quæ ex iniqua Judicis sententia certo imminet; (3) defendere non solum quæ possidemus, sed etiam ea, ad quæ jus inchoatum habemus, dum alia via id assequi non valeamus: » Quas quidem assertiones duellis faventes, Apostolica Sedes censura notavit, rejicit, proscriptis.

Et nihilominus extiterunt quam proxime recentiores alii, qui etsi duella, vel odii, vel vindictæ, vel honoris tuendi causa, vel levioris momenti res fortunæ servandi, fateantur illicita; aliis tamen in circumstantiis, et casibus, vel amittendi officii, et sustentationis, vel denegatæ sibi a Magistratu justitiæ, Defensionis innoxie titulo, ea licere pronunciant. Laxas, et periculi plenas opiniones hujusmodi, ex vulgatis eorum libris ad nos delatas, ubi primum accepimus, eorum examen nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, et quibusdam dilectis Filiis Sacrae Theologiæ Magistris specialiter ad id per nos deputatis, commisimus, qui re mature discussa, latis coram Nobis tum voce, tum scripto suffragiis, infrascriptas propositiones censura, et proscriptio dignas existimarunt.

**I.**

Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus habetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ, spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

**II.**

Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse securam, utpote ab aliis impediendam.

**III.**

Non incurrit Ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux, vel officialis Militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famæ, et officii.

**IV.**

Licetum est, in statu hominis naturali acceptare, et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio jactura propulsari nequit.

**V.**

Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.

Auditis itaque, super unaquaque earum propositionum, dictorum Cardinalium, et Consultorum judiciis, atque omnibus rite, et

(1) *Prop. 17. ex damnatis ab eodem.*

(2) *Prop. 18. ab eodem damnata.*

mature consideratis, Nos ipsas, præsentium Literarum tenore, et Apostolica Auctoritate, tamquam falsas, scandalosas, ac perniciosas rejicimus, damnamus, ac prohibemus, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam disputandi gratia, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in mortis articulo) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tempore Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione Divini Judicii, prohibemus omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, et status, etiam speciali, et specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum, ad praxim deducant.

Jam vero ut exitiosam duellorum licentiam, in Christiana, ac præsertim Militari Republica, non obstantibus providis legibus a plerisque etiam Sæcularibus Principibus, et Potestatibus ad eandem extirpandam laudabiliter editis, adhuc gliscentem, validiore manu coerceamus, gravissimumque scelesus Apostolicæ districtiōnis gladio magis magisque insequamur, omnes, et singulas dictorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones superius enunciatas, quarum tenores, ac si præsentibus de verbo ad verbum insertæ forent, pro sufficienter expressis haberi volumus, Apostolica Auctoritate confirmantes, ut innovantes, ad hoc ut pœnarum gravitas, et severitas majorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, Nostro motu proprio, ac de Apostolicæ Auctoritatis plenitudine, earumdem præsentium Literarum serie, statuimus, atque decernimus, ut si quis in duello, sive publice, sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida, tamquam interficiens proximum suum animo præmeditato, ac deliberato, ad formam Constitutionis felicis recordationis Prædecessoris Nostri Benedicti Papæ XIII, quæ incipit: *Ex quo Divina*, data VI Idus Junii anno Domini 1723, ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio exclusus et repulsus omnino censeatur, ita ut a cujuscumque Sacri aut Religiosi loci Asilo, ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi, et Judicis competentis Curia pro merito puniendus tradi possit, ac debeat. Super quo Nos Episcopis, aliisque Superioribus Antistitibus, ad quos respective pertinet, et pertinebit imposterum, necessarias et opportunas facultates præsentium quoque tenore imperitur. Quin etiam vivente adhuc altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere, et legum severitatem evadere possit

(3) *Prop. 52. ex damnatis ab Innocentio XI.*



prospiciatur; volumus, et respective permitimus, ut, quatenus periti ad inspiciendum vulnus asciti, *grave vitæ periculum* adesse retulerint, percussor ipse, prævio semper Decreto Episcopi, et cum assistentia personæ Ecclesiasticæ ab eodem Episcopo deputatæ, ab hujusmodi loco immuni extractus, sine mora carceribus mancipetur; ea tamen lege Judicibus indicta, ut illum Ecclesiæ restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus a legibus, quæ de homicidio sunt, constitutum, alioquin in eadem pœnas incidant, quæ in memoratis Benedicti XIII literis constitutæ sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis, ex indiciis ad id sufficientibus sibi traditum, restituere recusent, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

Præterea, simili motu, et auctoritate discernimus, ac declaramus, Sepulturæ Sacræ privationem a Sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli, et confictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam Judicis, a decedente quoque extra locum confictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta Pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis, et censuris absolutiorem obtinuerit; sublata Episcopis, et Ordinariis locorum super hac pœna interpretandi ac dispensandi facultate, quo cæteris documentum præbeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiæ legibus obedientiam præstandi.

In hujus demum sollicitudinis nostræ Societatem vocantes charissimos in Christo Filios nostros, Imperatorem Electum, cunctosque Catholicos Reges, nec non Principes, Magistratus, Militiæ Duces, atque Præfectos, eos, omnes et singulos, pro sua in Deum Religione, ac pietate, enixe obtestamur in Domino, ut conjunctis studiis, et animis, exitiosæ duellorum licentiæ, qua Regnorum tranquillitas, Populorum securitas atque incolumitas, neque corporum solum, sed, quæ nullo pretio æstimari potest, æterna animarum vita certe periclitatur, omni nisu, et constantia vehementer obsistant. Neque sibi, suæque in Deum fidei, munerisque rationi fecisse satis intelligant, quod optime constitutis legibus, indictisque gravissimis pœnis, horrendum scelus proscriptum sit, nisi accuratam ipsarum Legum, pœnarumque executionem naviter urgeant, ac promoveant, seque inexorabiles Dei vindices in eos, qui talia agunt, diligenter exhibeant. Nam si delinquentes aut oscitanter ferant, aut molliter puniant, alieno sese crimine polluent, omnisque illius sanguinis reos se constituent, quem ita crudeliter inultum effundi permiserint. Vani enim, falsique honoris Idolo humanas litari victimas non impune feret supremus omnium Judex Deus, rationem ab iis aliquando exacturus, quorum est divina et humana jura tueri, sibi que creditorum hominum vitam servare, pro quibus Sanguinem ipse suum Jesus Christus effudit.

Volumus autem, ut præsentium Literarum transumptis, etc.  
Nulli ergo, etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ MDCCLII, quarto Idus Novembris, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

*Animadversiones Auctoris ad notam Romani Theologi verbo Duellum artic. 1. subjectam.*

Quoad ea, quæ in verb. *Duellum* art. 1. n. 17. adnot. Rom. Theologus, (proferens scilicet sensum Constitutionis Benedict. XIV, quæ incip. *Detestabilem*), si accurate percurrisset mea supplementa, reperisset in verb. *Propositiones damnatæ* totam ex integro præfatam Constitutionem incip. *Detestabilem*, cum quinque damnatis propositionibus, sicque omisisset superfluas illas notas, sicuti et totam additionem ibid. art. 2. n. 2. subjunctam; seu saltem indicasset supplementum meum lectoribus, ne ego apud ipsos viderer minus diligens in recensendo dietas damnatas propositiones et cætera quæ in ea Constitut. a vigilantissimo æque ac sapientissimo Pontifice præscribuntur. In præsentem tamen editionem placuit Constitutionem illam subnectere verb. *Duellum*, utpote loco sibi congruentiori, et sub verb. *Propositiones damnatæ* illam tantum indicare.

#### ADDITIONES CASINENSES.

(24. Mos singularia committendi certamina originem duxit a barbaris populis, qui medio ævo Europam inundaverunt atque partim subjugaverunt. Jam ab initio sæculi Ecclesiæ sexti hujus barbaræ consuetudinis vestigia invenire licet in legibus *Borgognorum*, qui litigantibus juramento sese defendere nolentibus certamen singulare inire imperabant. Horum etiam certaminum usum Longobardorum leges confirmaverunt.

(25. Quod vero spectat ad Duelli causam, cum Eminentissimo Cardinali Gerdilio repetendam eam esse censemus: primo, ex abusu libertatis vi cuius barbari populi jus omne conculcabant, et justitiam per vim solum posse obtineri putabant: secundo, ex eo quod haud bene intellecta erat honoris virtus, eam enim constituerunt in vi physica: tertio denique, ex sua superstitione; qua inducti fuerunt ad singulare certamen habendum pro Dei judicio. At nullum ex hisce motivis sufficit ad Duellum justificandum.

(26. Sane omni jure prohibitum est Duellum: Divina enim lex homicidium privatamque vindictam vetat. Item Ecclesiasticæ leges pœnis ac censuris illud prohibent. Demum leges civiles omne singulare certamen prohibent. Frustra autem aliqui Duellum cohonestare conati sunt, illud confundendo cum homicidio, quod per accidens fit, quando quis vim vi repellat. Magnum enim est discrimen Duellum inter et propriæ vitæ defensionem adversus injustum aggressorem.

(27. Joverit heic inserere consilia quæ omnibus curam Reipublicæ gerentibus proponit Verulamæ Philosophus: Ergo leges adversus duellantes latæ semper et in omni casu, nullo dignitati vel gradu respectu ha-

bito, ad executionem demandantur. Qui istas leges violant omni honore, dignitate ac officio privantur. Alia media ad hoc vitium

detestabile impediendum Principum sapientiæ et prudentiæ relinquenda esse censemus.

#### DIPTYCHA.

##### ADDITIONES EX EDITONE BARBIELLINIANA.

##### SUMMARIUM.

4. 2. Quæ nomina in Missæ sacrificio olim ex dipty-

(1. Pro omnibus quidem Christi fidelibus solet Ecclesia inter sacra ministeria preces ad Deum fundere communes: sed præterea speciales Deo preces offerebat pro certis quibusdam hominibus, tum viventibus, tum vita functis, quorum nomina ex scripto per Diaconos pronunciabantur inter sacra mystica, pro Imperatoribus et Regibus, pro Summo Pontifice, pro Episcopo loci, pro Patriarchis, pro cæteris quibusdam Episcopis, sibi invicem hoc genere officii gratificantibus: denique pro fidelibus illis, qui munera et oblationes ad rem sacram, divinumque cultum contulerant. Ex altera autem charta (1), quæ defunctorum nomina referebat, nominabantur pariter ad populum ex ambone ad aliquod tempus homines, vel Principatu temporalis, vel dignitate Episcopali pridem spectabiles. Insignium autem benefactorum, quales erant fundatores illius Ecclesiæ, perpetua fiebat memoria et recordatio. Hujusce ritus, simulque gratitudinis innumera legimus veterum monumenta nonnunquam etiam graves erant inter Ecclesias concertationes, aliis quorumdam insignium dignitate virorum memoriam colentibus, aliis ex adverso damnantibus, ut contigit in Joanne Chrysostomo, cujus memoriam Romana venerabatur Ecclesia; sed in oppositum Alexandrina, dum vixit infensissimus Chrysostomi persecutor Theophilus, execrabatur, una cum factione Theophili freta Imperatoris Arcadii animositate, qui sanctissimum virum, urgente Theophilo, injustissimis exiliis damnaverat, ut referunt Socrates, Sozomenus et Palladius. Nec minus nota sunt dissidia Orientalium Ecclesiarum cum Romana; dum hæc Acacii memoriam tanquam hæretici (ut vere erat) execratur; illæ vero ab eodem olim seductæ recolunt: quam referunt historiam Chronicon Marcellini, Theophanes et Theodorus lector. Eaque ex causa Euphemius Constantinopolis Episcopus Apostolicæ sedis communionem tanquam Schismaticus excidit, cæteroque orthodoxus, ob pertinaciam, quam nomen Acacii de tabulis Ecclesiasticis eradere recusaret, ut prodit Theophanes, et Nicephorus historicus.

(2. Dionysius lib. 3. de *Ecclesiast. hierarch.*

(1) Diptycha hæc chartæ appellabantur, non quod gemini essent libri, vivorum alter, alter mortuorum, ut existimavit Meursius in suo *Glossario Græco-barbaro*, cum unus idemque liber utrorumque nomina continere potuerit; et solus liber viventium, item solus mortuorum etiam diptychum sint dicta. Dietæ sunt ergo Diptycha chartæ hujusmodi, quod duobus foliis constarent, quemadmodum quæ tribus constabat, *triptycha* vocabantur. Chartas dixi, quod membranacea plerumque diptycha essent; erant

ERRAR. III.

chis recitarentur. — 3. Praxis hujusce recitationis. — 4. 5. Erasa ex sacris his tabulis hæreticorum nomina, unde orientalia quædam dissidia.

hæc de diptychis refert: « et cum se mutuo omnes salutaverint, mystica sacrarum tabularum recitatio fit. » Eodem spectat illa Cypriani expositulatio *Epist. X.* de faciliiori quorundam lapsorum reconciliatione: « Ad communionem admittuntur, et offertur eorum nomen nondum penitentia facta. » Hieronymus in *Comment. super Ezechielem* 18. egregie dicit: « Publice Diaconus in Ecclesia offerentium nomina recitat, tantum offert ille, tantum ille pollicitus, placentque sibi ad plausum populi torquente conscientia, damusque materiam miseris, ut gaudeant ad ea quæ tribuunt, et non luceant ad ea quæ rapuerunt. » Innocentius Papa in illa notissima ad Decentium Eugubinum Episcopum epistola dicit: « Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tum eorum nomina, quorum sunt oblationes edicenda ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ antea præmittimus, ut ipsi in mysteriis viam futuris præcibus aperiamus. »

(3. Recitandorum nominum praxis visitur in ipsis Liturgiis Jacobi Apostoli, Basilii et Joannis Chrysostomi. In harum duabus ultimis hæc habentur: « Diaconus sacram mensam incensat per circuitum, et diptycha tam viventium, quam eorum qui dormierunt, quorum vult. » His adjungo Concilii Emeritensis can. 19: « Proinde salubri deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus Presbyter jussus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procureret offerre; et eorum nomina, a quibus Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliqui his Sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missæ: Quod si ab hac luce discesserint, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo in ordine. » Magnus Gregorius Papa lib. 2. epist. 37. ad Constantium Mediolani Episcopum rescripsit, nullam ipsi necessitatem incumbere Joannem Ravennæ Episcopum nominandi, cum neque Joannes Constantium ad altare nominare soleat (2).

(4. Acacius Constantinopolis Episcopus hæresi Eutylianæ clam addictus, Zenoni tamen interdum eborea, ex profano Consulari Diptycho in Ecclesiasticum usum translata.

(2) Observa diversam fuisse formulam, qua utebatur Celebrans, ac quandoque etiam Populus post Episcopatum nominum recitationem; recitatis quippe cæterorum defunctorum nominibus, Sacerdos pro iis precabatur ea formula, qualis extat in Liturgia, quam Alexandrini S. Marci appellant: *et horum omnium animabus dona requiem, Dominator Domine Deus Noster, in Sanctis tuis Tabernaculis.*

12